

\_Lettera\_N\_0996

Al papa Pio IX

\*Augustae Taurinorum, die septimo januarii 1867

Beatissime Pater,

Jam quatuor anni elapsi sunt, quum Constitutiones Societatis a Sancto Francisco Salesio dictae, Tibi, Beatissime Pater, submittebam, iudicium ad approbationem Sanctae Romanae Ecclesiae efflagitabam. Uti pater magis voluntatem filii quam meritum perspicere die prima Julii anno 1864 amplissimis verbis hanc societatem ad instar Sacrarum Congregationum, paternam prorsus bonitatem, laudare et commendare dignaberis; dilata tamen ad opportunius tempus Constitutionum approbatione.

Attentis vero peculiaribus circumstantiis, die 23 ejusdem mensis et anni, speciali decreto ipse Orator, licet indignus, ejusdem Societatis Superior Generalis ad vitam constituebatur, licet eius successor duodecim tantum annis in suo munere permanere deberet.

Eidem decreto adnectabantur tredecim animadversiones, quas attentissime perlectas ad praxim traduxi, adque qua ad ejus fieri posse visum est in Constitutionibus accommodavi.

Nunc denuo, Beatissime Pater, ad Te revertor, humiliter deprecans ut tempus opportunius pro nobis sit tempus praesens, quia tu regis Ecclesiam Dei. Hujus operis tu fuisti suator et impulsor; ego vero quae potui feci; nunc perfice opus

quod tu ipse coepisti. Hoc tu reapse facies, si hanc Societatem Apostolica approbatione confirmabis, atque consolidabis illis verbis, modis, correctionibus, quos tu, Pater Beatissime, ad majorem Dei gloriam, atque ad animarum salutem melius in Domino judicaveris.

Veruntamen si res adversae vel temporum ratio ad integram Constitutionum approbationem dilationem suaderent, humiliter efflagito ut saltem illi articuli approbentur, qui ad juvenes in sortem Domini vocatos spectant. Hoc est:

1° Ut Superior Generalis literas dimissoriales dare possit iis sociis qui vota in hac societate praescripta emisissent. Hoc ad prime necessarium est ut societatis spiritus conservetur et ab saecularibus blanditiis aliasque occasiones, ingressum et regressum, propter publicarum scholarum frequentationem, non amittatur.

2° Ut titulo mensae communis ad minores et majores ordines socii admitti possint.

Plurima jam a Te beneficia ego caeterique huius societatis sodales accepimus, pluresque animum addidisti, nunc ergo ut nos compotes voti facias rogamus. Utique servi inutiles sumus, nullamque pro tanto munere compensationem dare valeamus. At gratos animi sensus ostendere satagemus quotidie ad Deum preces fundentes, ut Te, Beatissime Pater, pro Ecclesiae utilitate diutissime sospitem servet, atque omnibus adversantibus malis superatis, ad supremam felicitatis gaudium inter coelites valeas pervenire.

Dum autem ego caeterique sodales huius societatis approbationem supplices expectamus, humiliter Benedictionem Ap. flexis genibus imploramus.

Ego vero caeteris omnibus felicior audeo me subscribere Beatitudini tuae. Amantissimus et Deditissimus filius Bosco Joannes Sacerdos